

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Pilatvs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

di l) princeps, nec habet quod in me carpat: tantum eo res tendit, ut intelligant homines, me amare patrem, & ita facere, ut mihi mandavit. Surgite, abeamus hinc.

## SENTENTIA.

*Inter Christianos quisque major eo submissior. Ex charitate cognoscitur Christianus. Ut quisque sibi maxime confidit, ita facillime labitur. Spiritus sanctus Christianum perficit.*

P I L A T V S. Matth. 27. Marc. 15.  
Luc. 23. Joan. 18.

## ARGVMENTVM.

Jesum accusant Judæi. Pilatus interrogat. Jesus de suo regno & officio respondet. Pilatus eum ad Herodem mittit.

*Pilatus, Judæi, Jesus, Pontifices.*

**Q**uodnam crimen adfertis in hunc hominem, quem mihi vinctum tradidistis? *Ju.* Nisi esset maleficus, nunquam eum tibi tradidissemus. *Pi.* Abducite eum vos, & ex lege vestra judicatot. *Ju.* a) Nobis non licet interficere quenquam. Sed si quæris crimina, eum deprehendimus pervertentem gentem, & prohibentem Cæsari

l) Diabolus. Horreant hic mundani, qui talem habeant principem: quod tamen dici nolunt.

a) Hujus vocis dant adhuc pœnas Judæi. Nam eis non licet interficere quenquam, quippe servis, scilicet pro, hoc est, potestate privatis.

fari tributa dare, seque Christum Regem esse dicentem. *Pi.* Libet ex ipso sciscitari. Heus, tune es Rex Judæorum? *Je.* Tune istud sponte dicis, an ex aliis auditum? *Pi.* Quasi ego Judæus sim. Tui, tui te populares & pontifices mihi tradiderunt. Quid commisisti? *Je.* Regnum meum terrestre non est, quod si esset, mei satellites b) pugnassent, ne Judæis addicerer. Verum regnum meum hic positum non est. *Pi.* Tu ergo Rex es? *Je.* Recte ais: Ego eo natus sum, & in hunc terrarum orbem ingressus, ut testimonium perhibeam veritati. Quisquis a veritate est, vocem meam audit. *Pi.* Quid est veritas? Heus pontifices, & plebs Judæa, ego nullum deprehendo crimen in hoc homine. *Po.* Atqui nemo est hodie nocentior, neque supplicio graviore dignus. *Pi.* Non audis, quæ in te proferant crimina? nihilne respondes? Vide ut te graviter accusent. Quid taces? nequeo mirari satis: *Po.* Populum sua doctrina, a Galilæa ad hunc usque locum excitat. *Pi.* Estne is Galilæus? *Po.* Est. *Pi.* Per commode cadit, quod est ditionis Herodis, qui nunc in urbe est. Itaque cum ad illum duci jubebo.

## SENTENTIA.

*Autoritati suæ credi volunt calumniatores piorum. Christo regnum mundanum non est.*

S 2

BAR-

b) Perpendant hoc dictum; qui Christum terrestribus armis volunt defendere.

BARRABAS. Matth. 27. Marc. 15.  
Luc. 23. Joan. 19.

## ARGVMENTVM.

Pilatus Judæorum importunitate fatigatus, Jesum damnat ad crucem, Barrabamque latronem liberat.

*Pilatus, Pontifices, Judæi, Jesus.*

**N**unc, Judæi, adduco vobis eum, ut intelligatis, me nullum in eo crimen invenire. Ecce homo! *Pon.* Crucifige! crucifige! *Pi.* Comprehendite eum vos, & crucifigite; nam ego nullum in eo crimen invenio. *Ju.* a) Nos legem habemus, quæ jubet eum morte plecti: quia filium Dei se fecit. *Pil.* Metuo quorsum evadant hæc. Undenam es? mihi non eloqueris? An nescis, me potestatem habere tui vel crucifigendi, vel relaxandi? *J.* Non haberes ullam in me potestatem, nisi id tibi datum esset superne. Itaque, qui me tibi tradidit, in majore culpa est. *P.* Hic quidem dimittendus est, video. *Ju.* Si eum dimittis, b) non es amicus Cæsaris. Quisquis enim Regem se facit, adversatur Cæsari. *P.* Age, jam educam eum ad vos. Ecce Rex vester! *Ju.* Tolle in crucem, tolle in crucem. *P.* Regem ego vestrum in crucem; *Ju.* Nullum habemus Regem,

- a) Hanc legem nusquam in vetere fœdere invenio, & videntur Judæi Pilato (id quod erat facile) mentiti fuisse, præ interficiendi Christi cupiditate.  
b) Atqui oderant ipsi capitaliter Cæsarem: sed magis Christum.